



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis  
summis philosophis repetita**

**Scribonius, Wilhelm Adolf**

**Hanoviae, 1593**

**VD16 S 5114**

Cap. VII. De Veracitate.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

## De Veracitate.

*Quid est veracitas?*

Est debita sermonum dictorumque constantia.

*Qualia sunt hujus disparata?*

Ostentatio & dissimulatio.

*Quem dicis ostentatorem?*

Qui præclara vel quæ non habet, vel majora quoque fingit, ac sibi adjudicat.

*Quot sunt genera ostentatorum?*

Varia. Mentiuntur enim alii nullius rei causa: sed tantum quia mendacio gaudent. Alii ob honoris & gloriæ cupiditatem: Nonnulli spe pecuniarum ad mentiendum moventur.

*Dissimulator quis est?*

Qui quæ sibi insunt vel negat vel imminuit.

*Quot modis fit dissimulatio?*

Duobus. Alii enim dissimulatione utuntur in rerum admirabilium doctrina, & in ingenii aut sapientiæ inficiatione: ut, Socrates se nihil scire profitebatur. Alii vero parva manifestaque dissimulant, qui delicati & veteratores dicuntur.

Huius virtuti similis est fides. Cicero eodem nomine utramque definit in *Offic.* inquit: Fides est dictorum conventorumque constantia & veritas: quæ sic appellatur, quia fiat quod dictum est.